



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

310. An de jure vocandus, vocatus exspectandus sit ultra a terminum præfixum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

quidem sit, non tamen ad ejus instantiam cassanda electio; quia ei nulla facta injuria. Pass. num. 73.

*Questio 310. Virum de jure vocandus vocatus expectandus sit ultra terminum praefixum; suppono enim ut certum expectandum eum esse usque ad terminum praefixum, & ultimam hujus termini partem. Pass. n. 87.*

**R**espondeo: licet æquum, rationabile, meliusque sit ad tollendam omnem litis, & actionis de contemptu occasionem, ut dum vocatus est in propinquo rationabili causâ derentus, v.g. pluvia, electores ceteri de hoc facti certi, illum expectent paulisper ultra terminum praefixum, dum id sine incommodo gravi facere possunt; de rigore tamen juris ad hoc non tenentur; electio enim pertinet ad eos solos, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse ei intra terminum eidem praefixum; qui autem detinetur, v.g. à pluvia, ne intra tempus praefixum adsit; non potest commodè interesse, neque electores ceteri tenentur expectare commodum Electoris absentis, vel etiam praesentis habilitatem. Pass. num. 88, & AA. paulò post citandi. Porro citatus pro certa die, & non ad certam horam, intelligitur citatus pro hora matutina, quâ fieri consuevit electio; citatus enim ad certum diem adesse debet illâ horâ, quâ ille actus solet expediri. Felin. in c. consultur. de off. deleg. num. 5. & dum hora est de consuetudine & natura actûs, expressio diei haberetur pro expressione horæ. Biax. p. 3. c. 11. num. 20. Pass. cit. num. 88. Peyr. tom. 3. c. 9. num. 13. Unde si vocati, v.g. ad primam Martii, non adsint manè intra horam consuetam electionis, electores possunt in parte ultima istius horæ peragere electionem. Biax. Peyr. Pass. II. cit. Castel. de elect. c. 6. num. 11. Butrio. Anchar. Jo. And. ad cap. cum in nobis. h. t. Meritoque hic hora sumenda est strictè de momento ad momentum, sic statutibus SS. Canonibus in bonum Ecclesiae, ad necessariam in similibus firmitatem, & immutabilitatem, ad vitandas diffensiones, & dubitationes inde orituras, si moralibus considerationibus, extensionibus, & restrictionibus hoc tempus subjaceret. Pass. num. 89.

*Questio 311. Quid quoad electionem facere possint praesentes, aliis praefixo tempore non comparentibus, vel abeuntibus à Capitulo?*

**R**espondeo primò: ubi instat finis temporis praefixi Electoribus ad eligendum, ita ut post illud non possit amplius commodè fieri electio, & electione non factâ devolvatur provisio ad Superiorem, Electores congregati, & in electionis negotio perseverantes, etiam si sint minor pars, possunt eligere validè, reliquis non potentibus agere de contemptu. Abb. in c. in nobis. h. t. num. 10. Castel. loc. cit. num. 12. Pass. num. 93. cum communi. Verùmque id est, etiam si unus solus adsit, vel remaneat in Capitulo. Abb. loc. cit. Biax. de direct. elect. p. 3. c. 6. num. 5. Idque etiam de electione summi Pontificis factâ ab uno solùm Cardinale tenent apud Pass. num. 94. Barb. de jure Eccl. l. t. c. t. num. 74. Dian. p. 5. resol. 72. & plures alii ab iis citati; conservatur enim jus Collegii, etiam in uno. Gl. Butrio Abb. in c. gratum. de postulat. Lamb. de jurepat. l. 1. p. 1. q. 9. a. 3. num. 39. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. & c. utitur autem talis unus hoc suo & collegii jure, dum eligit, quo eum privare, & cui prajudicare

non possunt ceteri, negligendo illud. Pass. loc. cit. num. 93.

2. Respondeo secundò: ubi non instat ultimus terminus eligendi, & aliquis non venit praefixo die, vel è Capitulo recedit ex justa causa, legitime appellans ab illa diei praefixione, Electores ceteri, etsi in magno numero, non possunt eligere; et si eligant, is, qui appellavit, & praesens non fuit, potest agere de contemptu, & ad ejus instantiam electio est cassanda. Castel. loc. cit. c. 8. num. 11. Lavor. c. 17. num. 25. Pass. num. 95. iustæ enim appellationi est deferendum, & non censetur contumax, qui iustam & evidentem causam appellationis habet; Ubi tamen instat tempus ultimum, appellationi locus non est ad suspendendam electionem; sed ea servatis servandis potest legitime haberi. Castel. & Pass. II. cit.

3. Respondeo tertio: ubi neque instat ultimum tempus eligendi, nec est interposita legitima appellatio, venientes, etsi in minore numero, quam non venientes absque his eligere possunt validè, & absque eo, quòd hi agere possunt de contemptu, modò omnes vocandi vocati sint ab eo, cui de jure vel consuetudine competit convocare Electores. Abb. in c. in cunctis. h. t. num. 3. Tusc. l. 1. n. concl. 64. Sigism. à Bon. dub. 12. num. 5. Sanch. Tamb. de jure Abb. Castel. Donat. & plures alii, quos citat & sequitur Pass. num. 98. tunc enim hi absentes nihil protestari contra, sed solùm non venientes, & inobedientes mandato Praesidentis, censentur contumaces, faciuntque se alienos & extraneos, ad eoque in Electorum numero non computabiles. cap. cum nobis. h. t. ibi Abb. & Gl. Tusc. Pass. Lamb. Sigism. à Bon. II. cit. Tamb. d. 5. q. 3. num. 11. absurdum autem est, ut contumacia particularium retardet negotia universitatis, Abb. loc. cit. & ex eo Pass. Ampliatùrque hoc ipsum, ita, ut in hoc casu unus solus veniens possit eligere. Abb. Sigism. loc. cit. Peyr. in subd. q. 1. c. 35. Pass. num. 99. & plures alii contra Lezanam & Barb. de jure Eccl. lib. 1. cap. 9. num. 96. à quo factam limitationem vide retutatum & rejectam apud Pass. num. 100. Secus tamen est, si vocandi vocati non fuerunt per habentem jus convocandi Collegium ad eligendum; sed per aliquos de Collegio Electorum, tunc enim tantùm procedit electio, si veniant duæ partes (vel etiam, ut verius censet Pass. n. 109. si veniat major pars) electorum vocatorum. Pass. n. 97. qui tamen etiam num. 109. ait, quòd dum major pars legitime citavit ad certam diem, ii, qui veniunt, etsi sint pars minor, possint eligere.

4. Respondeo quartò: aliter loquendum de venientibus quidem ad eligendum, sed recedentibus à Capitulo ante factam electionem; nimirum ubi non instat ultimum tempus eligendi, recedente majore parte venientium, pars minor, quæ remanet, eligere non potest; minore verò parte venientium recedente, pars major remanens potest eligere. Abb. in cap. cum nobis. h. t. num. 10. Pass. num. 101. & seq. Ratio disparitatis hæc est, quòd praesens citans ad electionem pro die sibi bene vitâ obliget sub poena contumaciae ad comparendum eâ die, ita ut non venientes tanquam contumaces habendi sint, ut alieni & extranei, quibus jus eligendi non competit; non tamen obligat, nec obligare potest ad eligendum eâ die, si tunc non expiraret tempus à lege statutum; cum non possit Electoribus restringere tempus illis à jure concessum ad eligendum. c. si diligenti. de foro compet. & c. indultum.